S. Vir ornatiss. & amicissime. Profecto liben-
ter, tua caussa, sive bono piorum profuissem,
si qua occasio sese obtulisset. Sed in ipsis
instaurandae Academiae huius initijs, quia
ἐλαγόζωοι nobis non desunt, non possum, quantum
cupio, multis pauperib. qui me adeunt, adesse.
Vt Hectorem interfectum, Troiani ad se, Graeci
item ad sese pertrahere conati fuerunt: sic iam
Basilienses & Princeps hoc agunt, vtrobique
vt sim, quod ἀδύνατον esse vides.
Satis frequenti auditorio, Enarrare Matthaeum
cepi. Jam & ad Historicas lectiones pertrahor.
Mitto tibi orationis meae σκιογραφίαν, bona
fide scriptam, & iussu Consiliariorum editam. Prodibit
aliud & Cossani ἀξιόπιστον scriptum vernaculo
sermone, de rebus hic gestis, isto octimestri.
De sua victoria fumos adversarij passim sparse-
runt, sed sprecib. omissis. Superiores vero fuerunt,
si paralogismos, pasquillos, supplosiones, Sardoniu(m)
risum, barbarismos & soloecismos spectes. Scripserunt
ad Antonium Fuggerum maledicam Epistolam, meo cognomento
subscripto. Basiliensis Academia Tubingensem monuit
amice, ne pateretur Jac. And. in me maledicum scriptum
edere. Princeps à Basiliensib. postulauit, vt vel per
biennium me hic docere paterentur. Intra mensem accedet vxor
cum Charitib. Saluere iubeo V. Cl. D. Edonem, D. Giphanium,
D. Bußerutanum. Cupio scire an Illustris Comes Oswarogang adhuc
apud vos sit. Bene vale. Heydelbergae 3. Septembr. J. Grynaeus.

Doctissimo viro, Dno Theo-
philo Madero, amico suo
singulari & amatiss.o

Altorphia